

Sac. cong. Episcoporum et Regular. 6 Martii 1593.

(261. Regulares primi debent invitari, quando cadaver sepeliendum est in eorum ecclesia. Sac. congregat. Episcop. et Regular. 9 Januarii 1595.

(262. Parochus minime excluditur, licet a defuncto accersiri tantum regulares jubeantur. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul. 21 Aprilis 1594.

(263. In Tudertina electionis sepulturæ, Francisca quondam Rugerii de Gregoriis, de terra Massæ diocesis Tudertinæ, mortua est die 28 Maii 1721, et cum elegisset sepulturam coram duobus testibus in ecclesia PP. Tertii Ordinis S. Francisci, et repugnaret archipresbyter dictæ terræ, examinatis duobus testibus deponentibus pro tali electione et nolente archipresbytero, suos, quos præterebat contrarios, examinari et facto sepelire cadavere in sua parochiali ecclesia; propositis in sacra congregatione Concil. dubiis: « I. An constet de electione sepulturæ in casu, etc., et quatenus affirmative. II. An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris, de quo agitur; et quæ emolumenta sint restituenda a paroco in casu, etc. » Dicta sacra congregatio 4 Julii 1722 respondit: « Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative, etiam quoad omnia emolumenta, et amplius, et ad mentem. Et mens est, quod cadaver exhumari non debeat. » (264. Deinde oblata ab archipresbytero nova audientia et contentente electionem sepulturæ in ecclesia Patrum non posse dici probatam, et quatenus esset probata, non relevare, utpote factam ad suggestionem Patrum adversus textum in cap. Animam, De sepulturis in 6, proposito dubio: « An sit standum, vel recedendum a decisio; » die 4 Julii 1722, eadem sac. cong. die 21 Nov. 1722 respondit: « Ad primum in decisio; ad secundum in decisio, excepta exhumatione et restitutione cadaveris. » Sic apud *Thesaur. resolut.*, tom. II.

(265. In Senogallien. funerum, proposito inter alia hoc secundo dubio: « An testes super electione sepulturæ deponentes recipi debeant medio juramento per publicum notarium, sive potius sufficiat eosdem testes deponere ore tenus cum juramento coram ipsomet paroco vel vicario foraneo? » Sacra cong. Conc. die 19 Decemb. 1739, respondit: « Ad II. Negative ad primam partem, et affirmative ad secundam. » Apud *Thesaur. resolutionum sacræ cong. Conc.*, tom. VI.

(266. Electio sepulturæ facta a confratribus, seu sodalibus alicujus congregationis, seu confraternitatis in die receptionis et professionis, etiamsi facta sit per publicum instrumentum, non sustinetur. Sic sac. congregat., die 3 August. 1743, quæ in *Alexanen. funerum*, ad septimum inter alia propositum dubium, « An electio sepulturæ facta in eadem ecclesia per publicum instrumentum seu alium actum ab aliis sodalibus dicti oratorii, in ipsorum respective receptione, et ante obitum non revocata sustineatur in casu. » Respondit: « Ad VII. Negative, et

amplius. » Sic apud *Thesaur. resolutionum* dicti anni. Vide tom. II, verb. CONFRATER NITAS, art. 4, ubi varia ad rem.

(267. Pro sepultura infantum nutricibus extra propriam parochiam alendorum traditorum, a particulari congregatione a Clemente XI deputata, fuit resolutum ut sequitur: « Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena parochia decedant. Patre vero orbatos, quousque apud ipsam matrem aluntur, licet in potestate tutorum, non matris, existant, de parochia matris, non tutorum esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam parochiam dentur a matre, domicilium in parochia matris; si vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in parochia, in qua decedunt, tumulentur. » Sic habetur in additione ad *Statutum cleri Romani*, § 7 et § 8, ut refert cardin. Lambertin., deinde Summus Pontifex, volum. 5, notificat. 17, pag. 204. Et sic ubique observari convenit, cum stylus Curie Romanæ attendi debeat. Glossa 2, in cap. *Ad hæc summus*, De rescrip., et cum ipso procedendum esse in aliis curiis inferioribus, non autem cum praxi propriæ regionis, ut expresse tradit cardin. de Luca, *De judic.*, discours. 34, n. 22, et discours. 37, num. 20. Stylus enim Curie Romanæ facit jus, et pro lege habetur. Cap. *Ex litteris* 11, De constitut., cap. *Quam gravi* 6, De crimine falsi, cum Ecclesia Romana sit ordo, norma, et caput omnium Ecclesiarum. Cap. *Omnes*, et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, cum similibus.

(268. Quoad sepulturam educandarum vide verb. MATRIMONIUM, art. 2, a num. 115 ad num. 121, et verb. MONIALIS, art. 1, n. 61, 62.

(269. In Tusculana reparationis ecclesiæ, inter alia dubia, propositis his sequentibus: « Tertio, an reparatio, et expurgatio respective quatuor sepulturarum existentium in d. ven. ecclesia, ac inservientium pro laicis adultis, fieri debeat sumptibus dictæ communitatis, sive potius dicti capituli in casu? Quarto, an reparatio et expurgatio aliarum duarum sepulturarum pariter in dicta ecclesia existentium et inservientium pro pueris et sacerdotibus, fieri debeat sumptibus capituli, vel archipresbyteri, sive potius communitatis in casu? » Sacra cong. Concil., die 11 Januar. 1748, respondit: « Ad III et IV affirmative quoad primam partem, et negative ad secundam. » Et proposita causa sub die 1 Martii 1738, sub dub. : « An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisio in casu? » Ead. sac. congregat. respondit: « Ad III in decisio et ad IV in decisio quoad sepulturam sacerdotum; quo vero ad sepulturam puerorum, spectare ad communitatem. » Sic apud *Thesaurum resolutionum* dicti anni.

(270. Sepultura sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugne obierint. Bened. XIV,

constitut. incip. *Detestabilem*, § 9. Vide verb. DUELLUM.

(271. Sepulcrum in ecclesiis confraternitatum haberi potest, sed de licentia episcopi, uti sæpe decisum a sac. congregatione. *Instit. eccles.* 105, § 124.

(272. Si confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a sacra congregatione. *Ibid.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(273. De sepultura latissime licet egerit auctor, multa tamen dicenda essent, si limites additionum permitterent. Sed vide qui de hac materia accuratius agit. Bohemer., in tractatu *De jure parochiali*, sect. 4, cap. 2 per tot.

(274. Hic vero tria hæc adnotanda censuimus. Primum est, quoad sit expectandum, ut sepulturæ mandetur hominis cadaver? Nihil hæc de re in jure definitum est. Cæterum constitutionibus plurimum synodorum receptum est, ut post duodecim horas sepeliatur, si mors sit ex morbo secuta, et si repentina vel violenta, post viginti horas. Vide S. M. Benedictum XIV, *De synod. diocesana*, lib. II, c. 6, § 8. Adde etiam *adnotat. ad synod. Fulginal. episcopi Baptistelli*, cap. 23, n. 6.

(275. Num autem cadaver hominis violenta morte erepti inhumari possit, nisi prius præfectus loci illud inspexerit; et si secus factum sit, an possit ipse loci præfectus de mandare, ut exhumetur? Vide Mean, observ. 604 per tot.

(276. Secundum est, an liceat sepelire in loco sacro infantes sub dubiis reviviscentiæ signis baptizatos? Tantum abest ut liceat, ut congregatio S. Officii pluries decreverit, nec baptizandos quidem esse infantes hosce. Ad S. M. Benedictum XIV, *De synod. diocesana*, lib. VII, c. 6, § 11 et duob. sequent.

(277. Tertium est, an ecclesiastica sepultura carere debeant, qui decedunt ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint et obtinuerint a peccatis simul et censuris absolutionem? Atenta autem constitutione Benedicti XIV, cui initium est: *Detestabilem*, et hi carere debent ecclesiastica sepultura. (278. Videtur enim Summus Pontifex imitatus sanctionem concilii Lateranensis relatam in c. *Felicis*, De torneamentis, qua cautum fuit, ne in loco sacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, tametsi antequam extremam vitæ spiritum ederent, non incerta penitentiae signa exhibentes, absolutionem retulissent. « Quod (sunt ipsissima verba) si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti penitentia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura. »

RESPONSIO AUCTORIS.

(279. Quoad tempus expectandum pro sepultura cadaverum, jam satis dixi ego verb. *CADAVER*, et in *Supplementis* ad idem verb. ex decretis sac. congreg., nempe, quoad hoc servandam esse synodum diocesis. Et insu-

per tradidi quomodo et qua facultate possunt exhumari cadavera morte violenta erepta et sepulta, pro facienda recognitione a curia laicali. Item jam tradidi ego, quoad decedentes ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint et obtinuerint a peccatis simul et censuris absolutionem, etc., ut patet in meo *Supplemento*, verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, ubi refero nuper citatam constitutionem Benedicti XIV, *Detestabilem*, in qua habentur ad rem quinque propositiones damnatæ. Vide verb. DUELLUM, art. 2, n. 22.

APPENDIX.

Sive novus articulus ex aliena manu de sepultura.

(280. Ferraris noster num. 172 hujusce articuli brevi se expedit a quæstione jam toties, et novissime etiam acriter disputata, utrum scilicet catechumeni sine baptismo decedentes ecclesiastica privandi sint sepultura? Ab ea, ne dicam exagitanda, sed etiam tangenda prorsus abstinuissem, nisi mandatum accepissem maximi viri, cujus nutibus resistere mihi religio est. Ut autem ea, quæ par est, claritate hæc controversia discutatur, nonnulla in antecessum adnotanda duxi de variis catechumenorum gradibus et distinctionibus.

(281. Plures jamdiu fuisse catechumenorum classes, et gradus, res est apertissima in veteribus Ecclesiæ monumentis, quamquam tum auctores, qui sacris Christianorum ritibus illustrandis operam navarunt suam, tum ipsi theologi inter se non conveniant in iis enumerandis et distinguendis.

(282. Duos duntaxat recenset Menardus in notis ad *Sacramentarium S. Gregorii* (t. III *Operum ejusdem S. Doctoris*, edit. Maur., colum. 373) nempe *audientium* et *competentium*. Communiter tamen catechumeni in tres distribuuntur classes, quarum prima *audientium*, *genusflectentium* altera, tertia *competentium* seu *electorum*. In prima constituebantur illi, qui privata instructione exacta, publice in ecclesia instruebantur per episcopum. Ad secundam spectabant, qui participes consortesque fiebant orationum et exorcismorum, qui super catechumenos fundebantur. In tertia collocabantur, qui idonei ad baptismum judicati nomina sua dabant, ut nimirum inter illos recenserentur, qui jam proxime ad suscipiendum baptismum erant destinati, illisque symbolum tradebatur reddendum, postea baptismum suscepturi. Vide opus eruditi Josephi Vicecomitis, *De antiquis baptismi ritibus*, lib. II; Van-Espen, *J. E. V.*, part. XI, tit. 2, cap. 3 per totum; Tournely, *De sacram. baptismi*, qu. 3, art. 3; Juven., *Comment. hist. et dogm. de sacramentis*, dissert. 2, De bapt., cap. 2, art. 1; Du Cangii *Gloss.*, t. I, pag. 887, aliosque, tametsi viri eruditissimi eandem non sequantur partitionem, quos inter Martene, qui l. 1. *De antiq. Christianorum rit.*, cap. 1, art. 6, *Genusflectentes* catechumenorum specialem classem constituisse negat, asseritque ita vocitari consuevisse catechumenes

nos lapsos, qui pœnitentiæ peragenda admittentur, quapropter illos distinguit in *audientes electos et competentes*. Eodem pacto catechumenos partitur Berti, *De theologicis disciplinis*, lib. xxxi, cap. 20, nisi quod *electis competentes* anteponat.

(283. Non est hic discutiendi locus, quænam harum sententiarum alteri sit præferenda. Illud tamen certe eruitur, non omnes catechumenos eodem in censu habitos fuisse, aut esse habendos, sed semper rationem habitam fuisse progressus quoad instructionem, mores, baptismi desiderium, aliaque id genus. Ab eadem regula recedendum non esse, si discedere eos ex hac vita contingat nondum baptizatos, pro certo habeo. Unde catechumenos omnes ad tres etiam classes esse revocandos existimarem.

(284. Ad primam pertinent illi, qui ignavia et torpore arrepti, vel ut suis magis magisque cupiditatibus indulgere possent, lavacro regenerationis sua mundare peccata negligebant, quales erant illi, qui primis Ecclesiæ sæculis senectutem, vel mortis articulum exspectabant, ut sacris undis regenerarentur. Eorum vanam fiduciam compe-scere, ac segnitiam maturare sancti Patres sæpe suis in sermonibus tentarunt, ut S. Basil., hom. 13, *Exhortat. ad sanctum baptismum* (tom. II *Operum*, edit. Maur., pag. 113); S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40 (tom. I *Oper.*, pag. 652); S. August., serm. 132, n. 1 (tom. V, colum. 450); S. Jo. Chrysost., hom. in *Act.*

(285. In secunda constituuntur catechumeni, qui cum sint præcipuis Christianæ religionis mysteriis imbuti, Christianis moribus exornati, ac baptismatis desiderio flagrantibus, inopinata morte absque baptismo corripuntur.

(286. In tertia denique collocantur qui desiderio Christianæ fidei suscipiendæ manifestato, sese erudiendos tradidere. At nondum ejus capita præcipua callent, adeo ut de iis mysteriis, quæ necessario credenda sunt, ut loquuntur theologi, *necessitate mediæ* ad salutem, actus elicere nullatenus valeant.

(287. Præmissa hac enumeratione, dico primo, catechumenis sub priori specie contentis, si illis nondum regeneratis ultimum diem obire contingat, ecclesiasticam sepulturam nequaquam esse concedendam. Ratio evidens est. Nulli enim competit ecclesiastica gaudere sepultura, nisi sit Ecclesiæ membrum. Porro nemo inter Ecclesiæ membra est recensendus, nisi baptismate particeps fiat regni cœlestis; baptismate, inquam, vel aquæ, vel sanguinis, vel saltem flaminis, et ut a theologorum disserendi ratione non recedam, nisi baptismate, vel *in re*, vel *in voto* suscepto. Catechumenus autem, qui sæpius occasionem baptismatis suscipiendi posthabuit, nulla rationabili ratione coactus; quinimo baptismum pessumdedit, ut gentilibus moribus, quo fieri posset, tardius valediceret, baptismatis, neque *in re*, neque *in voto* factus est particeps; igitur neque consors factus dicendus est regni cœlestis,

neque inter Ecclesiæ membra annumeratus. atque inde ecclesiastica prohibendus est sepultura.

(288. Dico secundo, si catechumenum in secunda collocatum classe sacris undis nondum ablutum ex hac vita migrare contingat, ecclesiasticis cœremoniis esse sepeliendum.

Constat id luculentè Patrum sacrorumque canonum auctoritate. Sane canon apertissimus est c. *Apostolicam*, De presbytero non baptizato, ubi Innocent. III ab episcopo Cremonensi consultus, quid sentiendum de presbytero sine unda baptismatis defuncto, respondet: « Quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus inenclanter. » Mittit episcopum ad legenda opera sanctorum Augustini et Ambrosii, ac tandem concludit: « Sopolis igitur quæstionibus doctorum, Patrum sententias teneas; et in ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato. » Decretorius est Innocentii textus. Pro illis enim offerri preces et hostiæ publice in ecclesia nequeunt, qui jure privantur ecclesiasticæ sepulturæ. Si igitur pro presbytero non baptizato defuncto jubentur offerri publice in ecclesia preces et hostiæ, illum ecclesiasticè potitum fuisse sepultura, absolute est pronuntiandum. Quod eadem ratio sit habenda de catechumeno nostro, ac de presbytero, de quo in canone, nullum, puto, dubitare posse; cum rationes a Summo Pontifice pro presbytero adductæ, æque militent pro catechumeno. Uterque sine baptismo decedit, uterque in sanctæ matris Ecclesiæ fide, et in Christi nominis confessione perseverasse creditur; uterque ab originali peccato solutus ac cœlestis patriæ gaudium adeptus præsumitur. Adde Innocentium pro sua stabilienda Patrum auctoritate sententia, orationem S. Ambrosii *De obitu Valentiniani* adhuc catechumeni vita functi adducere, scilicet, vult Pontifex ideo preces, hostiasque offerri debere pro anima illius presbyteri, quia easdem jussu offerri S. Ambrosius pro anima Valentiniani, adeo ut si pro catechumeno offerri illæ non possent, Innocentii sententia prorsus collaberetur.

(289. Hinc est, quod idem Pontifex cap. *Debitum*, De baptismo, loquens de quodam Judæo, qui in mortis articulo constitutus semel ipsum baptizarat, quanquam ejus baptismum nullum sit, ut pronuntiat Papa ibi, tamen addit: « Quod si continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum. » Propter eandem rationem c. *Veniens*, De presbytero non baptizato, æque pronuntiat: « Cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti, efficiatur procul dabo membrum Christi. »

(290. Innocentii III sententia nova non est in Ecclesia, sed antiquis Ecclesiæ canonibus, priscaque consuetudine fulta. Ea enim suum habet fundamentum in can. 78

concil. *Carthaginen.* iv, habiti anno 398 (tom. II *concil. Collect. Labb.*, colum. 1206), et can. 12, conc. *Arelat.* xi habiti an. 452, (tom. III, colum. 1012). Quanquam hujusmodi duo canones de pœnitentibus duntaxat loquantur defunctis non completa pœnitentia; cum tamen eadem sit hac de re ratio pœnitentium et catechumenorum; ideo in patrociniū hujusce sententiæ præfati canones citantur a theologis. Quidquid tamen sit de eorum efficacia pro nostra constablienda sententia, eo tempore, quo iidem canones editi sunt, morem invaluisse fundendi in Ecclesia preces pro animabus catechumenorum aperte constat ex S. Ambrosio jam supra laudato, cujus præstat verba recitare. Is igitur in orat. *De obitu Valentiniani*, postquam numer. 51 et 52, eum gratiam baptismatis consecutum fuisse dixerat, quia baptizari optaverat, ac baptismi desiderium in eo vices baptismi suppleverat, num. 53, gregem suum hortatur, ut oblationibus Valentiniani animam prosequatur, ut sacris mysteriis requiem ejus poscat: neque separanda esse nomina (sacris in diptychis) Gratiani et Valentiniani, quamvis ille baptizatus obierit. « Date manibus, inquit, sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu. Date sacramenta cœlestia, animam nepotis nostri oblationibus prosequamur. Extollite, populi, mecum manus in sancta, ut eo saltem munere vicem ejus meritis rependamus... Nunquam ego piorum fratrum separabo nomina, merita discernam. » (Tom. II *Operum*, edit. monach. S. Mauri col. 1189.)

(291. Hæc eadem est S. Aug. sententia, ut constat ex l. iv *De baptismo contra Donatistas*, n. 30 et 32 (tom. IX *Operum*, col. 54 et 96), nec non S. Bernardi, epistola seu tractatu *ad Hugonem de S. Victore*, quam eorumdem SS. DD. Ambrosii et Augustini auctoritate, ubi confirmavit, subdit: « Ab his duabus columnis (Augustinum loquor, et Ambrosium) crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me errare aut sapere fateor. »

(292. Celebriores theologi et canonistæ id pro certo habent. Passerinus, *De stat. hom.*, tom. II, q. 187, art. 4, n. 63, et apud ipsum Lezana, v. *Sepultura*, n. 13; *Bordon.*, resp. 51, n. 119. Id etiam tenet card. Petra, *Comment. ad const. 2 Honor.* III, sect. unica, n. 58; Sayrus, *De censur.*, l. v, c. 16, n. 24; Barbosa, *De off. et potest. episcopi*, part. II, allegat. 28, n. 73; Bonac., *De matr.*, q. 4, punct. ult., n. 26; Thesaurus, *De pœnis*, part. II, vers. *Sepulcri violatio*, cap. 6, § *Limita quoad catechumenos*; Pax Jordanus, *De re sacra*, l. v, tit. 12, num. 120; Murga, tom. I, tract. 2, disp. 4, dub. 7; Clericatus, *Decis. sacram.* 86, n. 29 et 30; Gonzalez, in c. *Ad Apostolicam*, De presbytero non baptizato; Gagliardus, *Inst. jur. can.* l. II, tit. *De baptismo*, n. 42, et alii plures, qui citari possent.

(293. Non inficior, huic hucusque a nobis statutæ doctrinæ opponi posse concilii Brachar. I auctoritatem an. 563 celebrati:

quod quidem concilium, postquam cap. 16 statuerat nullam commemorationem in oblatione esse faciendam pro iis qui sibi metipsis necem inferunt, vel pro sceleribus puniuntur, neque eorum cadavera cum psalmis ad sepulturam esse deducenda, cap. 17 ita decernit: « Item placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismatis defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. » (Tom. V *Concil.*, edit. Labb., colum. 841 et 842.)

(294. Enimvero hujusce concilii decreto occurrimus: 1, cum Lavor., tit. 12, cap. 15, n. 92, et Bordon., resp. 51, n. 20, asserentibus præfatum canonem intelligendum esse de catechumeno illo, de quo constaret ex culpa et negligentia non fuisse baptizatum, quo quidem in casu eum non esse fidelium sepultura donandum, nos etiam tradidimus; 2, dicimus, Bracharensem synodum loqui de eo, quod ut plurimum accidit, nullatenus vero de casu necessitatis. Raro enim contingit ut catechumenus perfecte dispositus, et baptismi desiderio flagrans absque regenerationis sacramento decedat. 3, reponam cum eminentiss. cardinali Orsi, *Hist. eccl.*, lib. XLII, num. 62, tom. XIX, ubi relatis summatis præfatis duobus canonibus, subjungit: « Quanto ai due ultimi casi ha prevaluto nella chiesa l'uso contrario, fondato, quanto alle preghiere per le anime dei giustiziati, nel cap. 14, del 2 sinodo Aurelianense, e quanto alle anime dei catechumeni nell'esempio di S. Ambrogio. »

His breviter enucleatis de secunda catechumenorum specie, ad tertiam devenio. Dico igitur 3, catechumenis nondum in Christianæ religionis capitalibus mysteriis eruditus, atque ab hac vita migrantibus sine baptismate, non esse ecclesiasticam sepulturam concedendam.

(295. Palmare id est. In tantum enim catechumeni aliquando fidelium more sepeliuntur, in quantum fideles sunt, atque æternæ vitæ assequendæ capaces. Ille vero, qui præcipua Christianæ religionis capita ignorat, neque fidelis est, neque vitæ æternæ assequendæ capax. Sane absque cognitione et fide Trinitatis, et Incarnationis, nemo fidelis et Christianus dici potest. « Quod enim est (inquit S. August., l. *De dono perseverantiæ*, n. 2, tom. X *Operum*, col. 543) initium verius Christiano, quam credere in Christum? » Fides autem in Christum, fidem cognitionemque Trinitatis et Incarnationis præsupponit. Porro eorumdem mysteriorum cognitionem necessariam esse ad salutem consequendam in confesso, id est apud omnes veri nominis theologos. Scio, aliquos laxioris doctrinæ patronos nonnunquam arbitratos fuisse, eandem cognitionem implicitam, ut dicunt, sufficere. *Vid. domin. Vivam*, in *prop. 1 damnata ab Alex. VII*, num. 9. Verum ego majoris facio meherele auctoritatem Jesu Christi Domini mei, qui absque distinctionibus et ambagibus, *Joan. XVII* declarat: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant is,*

solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, quam horum scriptorum trietas.

ADDITIONES CASINENSES, UBI ETIAM DE QUARTA FUNERALI.

(296. Apud omnes ferme gentes etiam barbaras recepta probataque fuit mortuorum sepultura. Indignum quippe semper habitum est, corpus hominis, qui cæteris animantibus dignitate præstat, atque excellit, a feris dilaniari et in cibum absumi, necnon vi elementorum huc illuc distrahi atque disperdi. Subducenda quoque erant ab hominum aspectu cadavera visu odoreque fœda; et alia hujus generis motiva vel ex ipsis mundi incunabiles ad id præsto fuisse colligas licet. Hinc profecto sepeliendi officium humanitati ipsi præstari creditum est, adeoque nec inimicis, nec hostibus denegata sepulcra: *Nullum siquidem cum vitis certamen, et æthere cassis.*

(297. Et profecto Seneca pater, lib. I *Controv.* inter jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora, ponit *humum porrigere cadaveri*. Palinuri inhumati umbra apparuit Æneæ apud inferos conquesta, corpus inhumatum jacere. Virg., *Æneid.*, l. VI. Athenienses, cum eorum duces, magna victoria adepti, occisos insepultos reliquissent, eos capite damnarunt, bonis quoque publicatis. Diodor. Sicul., lib. XIII, cap. 100 et seq. Antigone cum periculo vitæ fratrem sepelivit, quem Creon tyrannus sepeliri prohibuerat. Sophoc., in *Antigone*.

Isocrates, in *Panathen.* Adrasti Argivorum regis memorabilem recitat sententiam: humare mortuos esse morem antiquum, et jus patrium, quo omnes inter se homines utuntur, quodque non ab humano proditum ingenio, sed a divina imperatum potentia videatur. Euripides jus hoc sepulcri *ἱερὸν βροτῶν, legem hominum*; Lucanus, *hominum ritus*; Tacitus, *sortis humanæ commercium* vocant. Quique id juris aliis exsolvere detrectant, eos *hominem exuere* Claudianus dixit.

(298. Quod si quis in insepultum cadaver occurreret, saltem ei terram injicere debere ex veterum monumentis compertum habemus.

Varii porro apud gentes sepeliendi modi obtinuerunt. Condiabant Ægyptii mortuos, eosque domi servabant; alii cadavera, uti erant, cremando, cineres sepeliebant. Humanior et antiquior mos apud gentes *humatio* fuisse videtur, qua scilicet integra corpora humo tegebantur. Unde Cicero: *« Mibi quidem, ait, antiquissimam sepulturæ genus fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, et ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. »* Lib. II *De leg.*, n. 22. Qui, *ibid.*, n. 25, de Atheniensibus addit: *« Nam et Athenis jam illo more a Cecrope, ut aiunt, permansit hoc jus humandi. »* Ita funeratus apud Thucydidem,

(51) Quippe etiam velut ad enutriendam spem resurrectionis humationem Christiani usurpasse videntur. Ex Prud., hym. 10.

l. IV Brasidas; apud Homerum Erato, Periandri uxor. Et longe antiquissimum exemplum ex veteribus patriarchis habemus, quibus humatio fuit usitata, uti ex *Genes.* cap. XXIII et XLVI, cuique est exploratum.

(299. Profecto cremationem cadaverum militiæ ratio, et putrescentium corporum multitudo videtur induxisse. Per plura sæcula apud Romanos ustio hujusmodi stetit: tandem fortasse tempore Commodi imperatoris sensim cadavera cremari desierunt; et Commodus ipse per humationem sepultus est. Certe tælate Ulpiani frequens erat humatio; quippe qui sepulcrum definit, *« ubi corpus, ossave hominis condita sunt. »* L. II, § 5, ff. *De religio. et sumpt. funer.*, etc. Adhuc tamen sub Theodosio Magno cremationis aliquis usus supererat, ut ex l. VI, c. Theodos. *De sepulcr. violat.*, colligere fas est; sed omnino illa sublata, humatio retenta fuit.

(300. Christianos vero quod attinet, in omni tempore pium ac religiosum habuerunt mortuos sepelire, omnique honorificentiae genere prosequi. Hinc Origenes contra *Celsum*, lib. VIII, ait: *« Rationabilem animam honorare didicimus, et hujus organa sepulcro honorifice demandare. »* Et quidem, rejecta crematione, humationem usurparunt, idque, quia humatio benignior et humanior esset: *« Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus; sed et veterem, et meliorem consuetudinem humandi frequentamus: »* ut ait Minutius Felix, in *Dialog.* Idem habet Tertull., *De anim.*, c. 31.

(301. Porro sævientibus in primæva Ecclesia persecutionibus, nihil antiquius ethnicis fuit, quam humationem Christianorum corporum impedire, cadavera immanibus belluis, vel rapacibus avibus objiciendo, vel ea cremando, cineresque in flumina aut ventos spargendo in futuræ resurrectionis (54) risum atque contemptum: *« Nos vero (sic Eusebius, Hist. eccles., lib. V, cap. 1, ubi De martyribus Gallie sub Marco Aur. Antonino agit) gravissimo interim dolore premebamur, quod humare cadavera nobis non liceret. Nam neque noctis tenebræ nos juvare, neque auri vis flectere, neque preces ullæ animos eorum (nempe paganorum in Christianos sævientium) commovere poterunt. Sed omni studio atque industria (ethnici) cadavera (Christianorum) custodiebant, quasi ingens lucrum facturi, si sepultura caruissent... Igitur martyrum corpora... cremata, atque in cineres redacta in præterfluentis Rhodani alveum sparsa sunt ab impiis (scilicet a paganis), ne ullæ deinceps eorum reliquiæ in terris superessent. Atque id agebant (ethnici), prorsus quasi Deo superiores esse, et resurrectionem illis adimere possent. »*

(302. Loca vero quoad spectat, in quibus corpora sepulturæ traderentur, id pro explorato haberi potest, generaliter antiquitus

fuisse extra urbes, civiumque domicilium. Apud Judæos mortui vulgo extra urbes et in cæmeteriis ad id destinatis sepeliebantur: accedit et ratio; siquidem *« summa apud Judæos immunditia erat cadaverum, adeoque tangentes sepulcra, essent immundi septem diebus (55). Hinc ipsi sepulcra habebant non iuxta templum, nec in uribus, ne in ea incurrendo polluerentur, sed extra eas (ut patet Luc. VII, 12, et Joan. XIX, 41, de sepulcro Christi) in agris et locis separatis. »* Ita Cornel. a Lapide, *Comment. in Numer. XIX, 16 (56).*

(303. Apud Græcos idem moris obtinuisse utique compertum est. Hinc Plato, lib. II *De legib.*, hæc habet: *« Nullum in loco fecundo, et agro ad culturam apto sepulcrum fiat. Sed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, et ad id tantum commodus viventes minime lædit: nec enim a vivis, neque a mortuis terræ matris fecunditas impedienda est. »*

(304. Romanos quod attinet, utique liquet, eorum sepulcra, sive corpora ipsa, sive eorum cineres urnis clausi sepelirentur, extra urbes collocata fuisse. Satis antiqua profecto est lex XII Tabularum, *hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.*

(305. Tantum ob virtutem clariores viri, atque de patria optime meriti, ut etiam Vestales, in urbe sepeliebantur. Postea cum hic mos extra urbem mortuos sepeliendi intermissi ceptus esset, eadem lex Duillio consule (an. ab Urb. cond. 454) relata est; deinde ab Adriano, Antonino Pio et Diocletiano (nempe secundo et tertio ær. vulg. sæculo) confirmata, ad reliquas Romani imperii urbes seu municipia extensa est, uti constat ex l. 3, § 5, ff. *De sepulcr. violat.*, ibi: *« D. Adrianus rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit, et in magistratus, eadem qui passi sunt; et locum publicari jussit, et corpus transferri: quid tamen si lex municipalis permittat in civitate sepeliri?... quia generalia sunt rescripta, et oportet imperialia statuta suam vim obtinere, et in omni loco valere, »* et l. 11, cod. *De religio. et c.*, in hæc verba: *« Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluat, intra civitatem condi jam pridem vetitum est in Kalendas Octobris.... anno 290 (57). »*

(306. Extra urbes vero sepulcra plerumque ponebantur ad vias publicas, cujus instituti rationem hanc Varro, *De Latin. ling.*, lib. V, assignat, ibi: *« Sepulcra ideo secundum*

(55) Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. (Numer. XIX, 16.)

(56) *« Illud autem animadvertas licet, quod nulla erat constituta lex, certa sepulcris loca decernens: quare modo in uribus spectabantur, in hortis domorum, in agro, in montibus, prope viam, sub arboribus. Regum Judæ sepulcra constituta erant Hierosolymæ (III Reg. XI, 10, 11); regum Israelis Samariae (III Reg. XVI, 18). E regibus Judæ alii sepulcræ mandati sunt in hortis regis (II Reg. XXI, 18, 26), etc. Sic Calmet, Dissert. De funeribus et se-*

viam sunt, quo prætereuntes admonerent, se fuisse, et illos esse mortales. » Erant autem sepulcra ista plerumque privata, perpauca publica; hæc tamen necessaria erant propter pauperes agris destitutos, quorum sepulturæ locus publicus, quem *puticulorum* nomine designabant, erat destinatus.

(307. Jam vero primis Ecclesiæ sæculis Christiani suorum fratrum corpora etiam extra urbes sepeliebant, nec enim leges publicæ, quod cæteris civibus denegabant, Christianis poterant permittere. Hinc veteres scriptores de sepulcris et monumentis martyrum, tanquam extra urbes constitutis in agris aut viis publicis, loquuntur.

(308. Pace Ecclesiæ data, idem institutum perduravit, stantibus publicis legibus, quæ urbanas sepulturas interdicebant. *« Omnis civitas (ait scriptor quidam sub nom. Chrysost. homil. 17 De fide), omne castellum ante ingressum sepulcra habet. »*

(309. Et Theodosius M. invalescentem Constantinopoli urbanam sepulturam, ann. 381 interdixit, et quæ in urbe, sive supra terram urnis clausa, sive sarcophagis corpora detinebantur, extra urbem transferri jussit: en tenor legis: *« Omnia, quæ supra terram urnis clausa vel sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, ut et humanitatis instar exhibeant et relinquunt incolarum domicilio sanctitatem. Quisquis autem hujus præcepti negligens fuerit, atque aliquid tale ab hujus interminatione præcepti ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte mulctetur: officium quoque, quod sibi paret, quinquaginta librarum auri affectum depoliatione merebitur... »* Cod. Theod., tit. *De sepulcr. violat.*, l. 6.

(310. Itaque incognita fuit antiquis Christianis in ecclesiis sepultura: nec nisi peculiari privilegio imperatoribus Constantino, Theodosio M., Arcadio et Theodosio juniori datum est, ut in vestibulo ecclesiæ Apostolorum in urbe regia extractæ eorum corpora quiescerent, ut ex Euseb. *De vit. Constant.*, lib. IV, cap. 71; Chrysostomo, homil. 25, in *II ad Corinth.*, et ex Nicephor., lib. XIV, cap. 58, constat. Deinceps vero mos in ecclesiis sepeliendi sensim cepit invalescere: quippe Christiani apud martyres (quorum reliquiæ in ecclesiis condi jam inde ceptæ erant) post mortem quiescere aptum et religiosum, et ad eos sibi demerendos pium, arbitrabantur.

pultur., inserta in 5 vol. *Com. in S. Script. in proæmio ecclesiastic.* At vero negari non potest, generaliter sepulcra Judæorum extra urbes fuisse posita, ut ipse Calmetus ait in *Dict. Bibl.*, v. *Sepulcrum.*

(57) Porro Romani extra urbes sepeliebant cadavera, ne funestarentur *sacra Civitatis*, inquit Paulus Ictus, lib. I *Sentent.*, tit. 21, § 2. Nimirum et ethnicis erat persuasum, diis superis sacra loca solo aspectu, vel contactu rei funestæ contaminari, polluique etiam sacerdotes, si vel funus viderent, vel funeris domum ingrederentur.